RAIMUNDI CECCHETTI ORATIO IN FUNERE JO. ERNESTI HARRACHII EPISCOPI...

Raimondo Cecchetti



RAIMUNDI CECCHETTI

ORATIO IN FUNERE

JO: ERNESTI

HARRACHII

EPISCOPI NITTRIENSIS

AMPLISSIMO AC NOBILISSIMO VIRO

A L O Y S I O
HARRACHIO COMITI

F E L I C I T A T E M.

IOS. DIONYSIUS CRIBELLUS. D.

CUM *summa semper Raimundus Cecchettus benevolentia, atque observantia JO: ERNESTUM filium tuum in vita coluisset, & ab eo se mirifice diligi, & honestissimis officiis ornari intellexisset, jam tum, cum acerbissimus illius mortis casus incidet, statuerat aliquid de ingenio exarare, quod grati, & memoris animi indicium faceret. Verum multa in caussa fuere, quamobrem usque ad hoc tempus rem produceret. Primum ipsa doloris vis, cum adhuc recens exarderet, mentis aciem impediebat: deinde consecutæ curæ, quæ animum a litteris abducerent: Accesserat demum quædam hominis altius in animo insidens in publicum prodeundi verecundia, quæ, etsi præsentis ægritudinis sensui*

tum cessisset, ubi tamen primus ille doloris æstus deferbuit, rursus ad ingenium se suum recipere instituebat. Ego vero cum primum aliquid otii eum nactum esse cognovi, non destiti hominem mihi amicissimum, & ad officia promptum incitare, ut susceptum consilium perficeret. In ejus tandem animo a pietatis ratione metus rephensionis superatus ita est, ut nonnihil meis cohortationibus tribuendum existimem. Hanc igitur lucubrationem quanquam alieno labore partam, meo tamen desiderio, atque officio prope eductam, mihi potissimum sumpsi, ut typis edendam, tibique, Vir amplissime, mittendam curarem. Neque profecto mihi aptius quicquam, aut optatius poterat accidere, quam, ut possem, si non princeps existere præclarissimi Antistitis, & de me inprimis meriti virtutis celebrandæ, at laudis proferendæ, & in omnem posteritatem propagandæ interpretem gerere. Neque rursus cui potius committerem, atque tibi hanc meæ in domesticam vestram dignitatem voluntatis, & observantiæ declarationem, puto esse quemquam. Excipe igitur, Vir ampiissime, ea, qua soles in me esse benevolentia, consentaneum tuæ pietati munus; quod carissimi filii manibus certe acceptum, tibi vero valde honestum, bonis plane omnibus perjucundum fore confido. Vale.

Id Maii. CIↃ. IↃ. CCXL.

SI



SI quanta amplitudine, atque celebritate doloris JOANNIS ERNESTI HARRACHII Pontificis Nitriensis mortem prosecutam esse intelligo, tanta sit copia, & gravitate orationis ipse laudandus, nemo profecto tam disertus inveniri potest, nemo tam vel ab arte, vel a natura ad dicendum paratus, quem non incredibilis rei magnitudo, ac difficultas a dicendo deterreat. Video enim omnes prorsus Civitatis ordines peregrini hominis interitum ita dolere, ut Civem quemque carissimum nunquam tanta luctus acerbitate dolendum putaverint. Dolent proceres eximium civilis virtutis exemplum ereptum, dolent Præsules suæ amplissimæ societatis dignitatem imminutam, dolent docti viri magnum scientiarum decus, ac patrocinium ablatum, plebs ipsa universa non mediocrem beneficentiæ fructum morte interceptum, popularisque comitatis veluti formam subito confractam esse vehementissime dolet. Luget præterea

universa Italia, cujus nullus est tam longinquus locus, quo non ejus excellentis in omni genere virtutis non solum opinio, sed etiam amor, admiratioque pervaserit: præcipuo quodam dolore angitur Germania, quod domestici nominis splendidissimum ornamentum amiserit: ipse CAROLUS Romanorum Imperator non mediocriter dolendum existimat, quod hominem sibi carissimum, optimeque de se meritum, quem regali amore, & sapientissimo quodam judicio suo mirifice diligeret, quem maximarum rerum aptissimum, probatissimumque interpretem, ac perfectorem haberet, in florentissimo excelsæ cujusdam spei cursu sentiat luctuosissimo casu esse sublatum: quidquid denique est hominum per universam propemodum Europam ab elegantia, aut a quovis animi cultu non abhorrentium, quibus vel universis, vel certe quamplurimis infinitæ suavitates ingenii, officii, humanitatis illius cognitæ essent, atque perspectæ, tanquam extinctas humani generis delicias conqueruntur. Quamobrem optime video me, etiamsi tantis doctrinæ, & eloquentiæ præsidiis valerem, quanta in homine vix reperiri possunt, huic tamen tanto muneri longe imparem esse futurum, si ad normam doloris revocanda sit expectatio Orationis. Ego enim ipse,

qui

qui illum animum velut omnium virtutum domicilium admirabar, qui perpetuam illius de me, ac de omnibus benemerendi cupiditatem intelligebam, qui suavissimis illis moribus jam diuturna familiaritate delectabar, cum tam jucunda, ac tam honesta consuetudine me privatum videam, majorem animo capio dolorem, quam vel flendo, vel dicendo possit expleri. Verum si meo, si vestro, si universo cum lugendi, tum ornandi hominis desiderio satisfacere minime possum, at indulgere oportet omnino. Non enim doloris mei ratio ejusmodi est, ut moderationem consilii patiatur, possitque aut a magnitudine rei suscipiendæ, aut ab eventus periculo, aut a reprehensionis metu restiugui, vel retardari. Neque vero committendum est, ut cui omnium laudum fructus debetur, is propterea omni propterea laude careat, quod maxime dignus habeatur. Si igitur nemo est, qui ejus virtutes recte possit Oratione complecti, si contra æquum est, ut eas omnino laudibus celebremus, id sane ad me potissimum pertinere arbitror, qui etsi ingenii, & eloquentiæ facultate, quæ in præsentia non magnopere est attendenda, minus ceteris valeo, at misericordiæ sensu, beneficiorum memoria, benemerendi voluntate, rerum etiam dicendarum notitia,

quæ res ad hoc officium maxime ſpectant, ceteris omnibus facile præſto. Itaque, Auditores, dum rem propoſitam aggredior, duo a vobis peto; primum ut quæ explicaturus ſum ita excipiatis, ut potius grati animi, & amantiſſimi officium, quam abſolutæ laudationis munus me obire voluiſſe putetis; alterum ut ſic habeatis, me nihil niſi ad veritatem dicturum, nullamque ei falſam laudem eſſe affictuium.

Sæpenumero lectione, aut memoria repetenti, quæ de bonorum natura Sapientes veteres ſcripta reliquerunt, tum demum mihi plane probanda videri ſolet eorundem bonorum ab iis inſtituta partitio, ſi tum quæ a fortuna, tum quæ a natura proficiſci dicuntur, neque prorſus a ratione aliqua, neque ſemper a laude ſejuncta eſſe exiſtimentur. Credo enim ego eorum diſpenſationem non caſu, aut temeritate regi, ſed certo quodam ſupremi numinis conſilio ita adminiſtrari, ut quamvis ratio ipſa providentiæ non raro a noſtris ſenſibus remota eſſe videatur, eam tamen & ſemper dominari, & omnia ad humanarum rerum conſtitntionem felicitatemque referre ſit affirmandum. At JOANNI ERNESTO nihil eſt, quod ſuſpicari poſſit non ſummæ, & quam perſpicuæ rationis æquitate contigiſſe, ut omni bonorum genere cumulatiſſime

latiſſime locupletaretur. Si enim ab ea familia ortum duxerat, quæ opibus, quæ potentia, quæ auctoritate, quæ honoribus, quæ affinitatibus inter Germanorum nobiliſſimas maxime floret; ſi longinquæ, ac perennis majorum virtutis exempla obtinuerat; ſi domeſticæ gloriæ uſque ad hoc tempus inſulis, purpura, magiſtratibus, imperiis conteſtatæ nactus erat monumenta: tum vero ſi mirifica mentis acies, ſi animi celſitas, ſi ingenii facilitas, ſi oris commendatio, ſi cetera denique illi naturæ præſidia inerant, pro quibus ſibi vel invito hominum opinionem, atque benevolentiam conciliaret; hæc omnia profecto in eum non temere putandum eſt eſſe conjecta, ſed conſulto collata, veluti adjumenta maximæ illius virtutis, quam ſuprema vis providentiæ ea mente in ejus animo fingere decreverat, ut inſigne omnibus documentum propoſitum eſſet, & vitæ in maxima rerum humanarum celebritate honeſtiſſime peragendæ, & mortis in ſumma omnium bonorum proſperitate religioſiſſimæ obeundæ. Ex quo affirmare omnino neceſſe eſt, ipſa bona, quæ in ceteris hominibus plerumque fortuita & habentur, & dicuntur, in JOANNE ERNESTO ita ad animum pertinuiſſe, ut ejus virtus ipſam fortunam in ſocietatem laudis vocaſſe videatut.

Hoc

Hoc habuit ille tum genus, tum ingenium; videamus institutionem. Intellexistis, AA, me de ejus genere ita dixisse, ut potius non prætermissum a me, quam explicatum videretur: neque de tot summis, clarissimisque ejus familiæ viris quemquam commemorandum duxisse præter unum JOANNEM ERNESTUM, a quo uno omnes Orationis meæ vires penitus exhauriuntur. Nunc vero cum de ejus institutione aliquid dicendum sit, se sponte ingerit orationi splendidissimus, & gravissimus vir ALOYSIUS HARRACHIUS JO: ERNESTI Pater, quem etiamsi voluissem silentio præterire, ipsa tamen laus filii in tacitam quandam sui communionem rapuisset. De quo tamen non est quod multa a me expectetis. Non enim commemorabo generis dignitatem ab ipso non servatam solum, sed auctam, non amplissimos magistratus præclarissime gestos, non favorem Cæsaris virtute partum, non summum gradum in secretiore consessu Principis adeptum. Sunt hæc omnia cum in luce posita, tum ab instituto nostræ Orationis aliena. Hoc unum dicam, quod maxime ad rem propositam pertinet, eo illum fato esse natum, ut eximiæ sobolis parens esset, ut plurimos filios procrearet magno excelsoque animo omnes, & maximarum rerum ge-

renda-

rendarum appetentiſſimo; ea vero ſapientia, & conſilio eſſe præditum, ut quam felicitatem nactus eſſet in liberis ſuſcipiendis, ad eandem eſſet in educandis diſciplinam eligendam adhibendamque maxime aptus. Quare in omnibus excolendis eam curam adhibuit, ut qui extant, ſatis oſtendant quantum, & quam præclarum paternæ diſciplinæ fructum retulerint. At cum vidiſſet in egregia JOANNIS ERNESTI indole excellentius quiddam elucere, præcipuam diligentiam in hunc potiſſimum conferendam putavit. Eum adhuc puerum hominibus prudentia, & doctrina probatiſſimis tradidit moribus, litteriſque imbuendum: qua ætate miro eruditionis proventu exacta, curavit, ut varias peregrinationes inſtitueret, pro quibus ea, quæ litteris didiciſſet, uſu ſapientiore magiſtro confirmaret. Ipſe vero omnia peritiſſimo conſiliorum, & itinerum ſuorum ſibi dato moderatori mira docilitate referens, non ad ſpeciem regionum, non ad pulchritudinem Urbium, non ad inanium ſpectaculorum novitatem, ſed ad varios gentium mores, ad diverſa populorum inſtituta, ad multiplices gubernandæ Reipublicæ rationes, ad artium commoda, ad locorum opportunitates animum, cogitationemque convertebat. Incredibili ſtudio flagrabat

earum

earum rerum omnium cognoſcendarum, ex quibus aliquid accedere ad cultum animi intelligeret. Non provinciam, non urbem, non oppidum præterire conſueverat, quin diligentiſſime veſtigaret ſi quis eſſet vel rerum gerendarum ſcientia peritus, vel litteris clarus, vel quavis ingenuæ facultatis laude cognitus. Eos omnes ſibi conciliandos curavit, omnibus familiariter uſus eſt, ab omnibus aliquem vel prudentiæ, vel doctrinæ fructum percepit. Litterarum vero ſtudiis in hac tam illuſtri peregrinatione perpetuam operam dedit. Philologiæ, ſacræ, & civili hiſtoriæ, juris ſcientiæ, philoſophiæ, mathematicis diſciplinis nullum eruditionis genus ſibi reliquum fecit. In quibus tantum profecit, ut cum in omnibus doctus ſemper ſit habitus, tum ad ſingula maxime natus, aptuſque judicaretur. Senſerat prudentiſſimus Pater, non diutius proferendum eſſe, quin tam lata, ac tam uberrima ingenii, animique ſeges, atque maturitas ad aliquem uſum celebritatemque revocaretur. Cum cogitaſſet quodnam tantæ virtutis dignum theatrum potiſſimum deligeret, Romæ ſe facile animo obtulerat. Ipſum vitæ genus, quod ille ſuſceperat, huic rationi mirifice cohærebat. Jamdiu enim Eccleſiæ nomen dederat, mox Sacerdotium inierat. Opportunus præte-

rea

rea eventus effecerat, ut ejus in Romam adventum ab amplissima dignitate auspicaretur. Nam vacuus inter duodec-viros litibus judicandis is locus erat, qui esse consuevit Germanæ genti jure attributus. In hunc porro locum JOANNES ERNESTUS suffectus, Romam migravit. Urbs plane tota admirata est hominem prope adolescentem in illud Collegium cooptatum, quod semper amplissimum est habitum, ad quod nunquam nisi gravissimis, sapientissimisque hominibus patuit aditus. Majorem etiam expectationem concitabat ejus, cui succedebat, spectatissimi, atque cum ætate, tum prudentia, & doctrina provecti viri Jo: Benedicti Gentilotti adhuc recens, & omni laude ornata memoria, qui eo tempore mortem obierat bonis omnibus luctuosam. Verum quid ego commemorem quemadmodum tantam ille de se expectationem in ipso muneris primordio non solum sustinuerit, sed etiam superarit? Testes vos habeo, præstantissimi Duodec-viri, qui maximum vestro ordini ab illo ornamentum accessisse contiuo intellexistis, semperque putastis. Vos etiam causarum actores appello, qui in ejus in agendo humanitatem, in percipiendo celeritatem, in jure dicundo prudentiam, doctrinam,

gra-

gravitatem tanti faciebatis, ut ſemper cum illo agere, ſemper ad illum cauſas deferre optaretis. Vos ipſos denique imploro, quos contra contigit, ut ille ſtatueret, a quo nemo veſtrum abjudicata cauſa, non ab omni offenſione vacuus diſceſſit. Ipſam enim judicii aſperitatem incredibili quadam comitate leniebat. Conſtabat præterea tantam ineſſe illi juris peritiam, tantam vero animi integritatem, ut neque ulla ratione a diſceptantium ſubtilitatibus decipi, neque gratia unquam, aut precibus, aut vi ulla poſſet ab æquitate deflecti. Ii qui intelligunt quid ſit duodecim-virum gerere, iidem profecto intelligunt, nullum ab hoc graviſſimo munere tempus ad aliam rem vacuum, atque liberum dari. Cauſæ ab omni propemodum Chriſtiano imperio huc deferuntur. Perpetuo procuratores audiendi, documenta expendenda, collegium adeundum, ſententiæ pronunciandæ. Toto anno vix aliqui dies dati ad intermiſſionem laboris. Quid propterea? Num JOANNES ERNESTUS in uno jure deliteſcendum interea putavit? Uno eodemque tempore in omnium rerum luce verſabatur, honeſtus, gravis, plenus officii, omnibus carus. Singulare enim ejus, & mirifice promptum ingenium, incredibiliſque in agendo celeritas id efficiebat, ut non

ſolum

ſolum ſatis, ſuperque ſuum munus expleret, ſed etiam non parum temporis ſibi reliquum faceret, quod univerſis Urbis inſtitutis, intimiſque rationibus veſtigandis, quod claris familiaritatibus ad emolumentum laudis, atque prudentiæ ineundis, quod litteris præſertim colendis, provehendiſque tribueret. Patebat quidem feliciſſima domus bonis omnibus, bonarumque artium præſertim ſtudioſis. Ibi librorum ad amicorum commodum exquiſita ſupellex, ibi Philoſophorum frequentiſſimi conſeſſus, ibi ingenii amœnitates, ibi graviſſimarum rerum ſubtiliſsimæ diſputationes. Huc profecto tanquam ad Emporium ſapientiæ, atque ad humaniſsimæ, liberaliſsimæque jucunditatis perfugium conveniebamus. Utinam vero tantum mihi ingenii fuiſſet, quanta ſuppetebat ad eruditionem, & eloquentiam proficiendi facultas; certe ad hoc officium perſolvendum aptior accederem.

Magna hæc profecto, AA, in ceteris omnibus, in illo quidem plane mediocria, ſi quæ me jam rapiunt, majora attendamus. Nimirum præclara illa virtus, mens illa excelſa certis quibuſdam limitibus continebatur, donec ſapientiſsimus hominum æſtimator Cæſar, illius prudentiæ fama permotus, eum Oratoris munere publicis negotiis apud Pontificem maximum

geren-

gerendis præficere constituit. Tum porro nactus est veluti campum, quo ejus gloria longe lateque se effunderet, & in omnium admirationem propagaretur. Sinite AA. me paulo altius hujus præclarissimæ laudis principia repetere. Jamdiu est, cum oratoria facultas alio proposito præmio, alia atque his nostris temporibus suscepta officii ratione, summorum tamen hominum studiis culta, longe eminebat. Quamdiu enim ita erat reipublicæ ratio constituta, ut cum penes populum, tum penes optimates esset auctoritas, tandiu vel in concionibus, vel in Senatu dabatur facultas exercendæ eloquentiæ, qua potissimum sensus, animique multitudinis in quamcumque partem ducuntur; plurimique extitere Oratores, quorum ambitio gratiam, auctoritatem, summos honores potissimo hoc præsidio quærebat. Verum cum maximæ rerum mutationes consecutæ essent, cum Romana Respublica eversa esset, atque labefactata, cum crebræ barbarorum incursiones otium, libertateque penitus sustulissent, quæ duæ res maxime erant, quibus oratoria facultas aleretur, corruit & ipsa eloquentia, atque adeo reliquæ simul optimæ disciplinæ corruere, a quibus vim omnem, atque ornamenta ipsa petebat. Quibus & si postremis temporibus suus sit honor restitu-

tius, temporum tamen ratio, & rerum constitutiones populares istam eloquentiam ab omni emolumento exclusere. Veruntamen Oratoris si officium est valde immutatum, viget certe adhuc cum nomine longe, meo quidem judicio, aucta dignitas, atque amplitudo. Sunt enim nostrorum temporum Oratores Regum ad Reges pacis, concordiæ, dignitatis spectatissimi custodes. Regum personam substinent, fidem, & jura retinent. Agunt vero de iis, quæ si diserte, atque sapienter sint agitata non unius hominis salus, non privati fundi adjudicatio, sed otium populorum, imperii conservatio, publicæ majestatis provectio, nationum commercia, gentium vitæ commoda, ea denique omnia, quibus maxime humanæ societatis felicitatem constare arbitramur, consequuntur. Quis est igitur, qui si clarissimorum hominum officia splendore, ac dignitate, scientiam autem rerum gestarum utilitate, ac magnitudine metiri velit, non nostros antiquis Oratoribus anteponat? Quorum si in maxima multitudine hominum ingenio præstantium, qui se ad hanc facultatem applicavere, paucissimi propter incredibilem rei difficultatem inventi sint, qui aliquam essent perfectionis speciem consecuti, iisdemque ob maxima muneris utilitatem, & amplitudinem tantum honoris

 & exi-

& existimationis haberetur, quantum nulla ceterarum rerum præstantia sperare possent: qui demum viri isti nostri sunt existimandi, quibus laudibus extollendi, qua commendatione celebrandi si qui extant egregii, & excellentes? Quorum eo laudabilior, & prope divina est virtus habenda, quo ejus difficilior est ratio, magnificentius officium, fructus ampliores, atque præstabiliores. Quæ cum ita sint, nunc quantum in hac facultate præstiterit J. Ernestus, attendite.

Equidem ego sic statuo, in summo hujus nostræ ætatis oratore has quatuor res inesse oportere: civilem prudentiam, probitatem, eloquentiam, & mansuetudinem; quarum ad oratoriam vim utilitatem, atque præstantiam ipse Orationis cursus declarabit. Quis igitur hoc homine prudentior esse potuit? Qui cum ingenium a natura accepisset ad gravitatem, consilium, atque sapientiam maxime comparatum, ortumque duxisset ex ea domo, quæ multis ab hinc sæculis senatoriæ scientiæ fuisset præclarissima quasi palæstra, nihil in tota ætate habuit antiquius, quam istos naturæ, atque domesticæ disciplinæ apparatus, studiis, industria, ac diligentia augere, atque confirmare? Qui pueritiam in iis litteris, quibus prudentiæ

præ-

præsidia potissimum comparantur, adolescentiam in peregrinationibus ea ratione peractis, qua rerum humanarum usus, & scientia maxime conflatur, traduxit? Qui Europæ provincias moribus, & cultu præstabiliores non solum peragravit, sed omnia perdiscendo exploravit? Qui diversa populorum imperia perspiciendo cognovit, multarum gentium mores, & instituta percepit? Qui hominum ubique administrandæ reipublicæ, & maximarum rerum usu peritissimorum familiaritatem coluit, præcepta audivit, consilia perspexit? Qui Romam denique plurimarum gentim hospitium, universæ pacis conciliatricem, maximorum ad publica negotia consiliorum officinam, habuit in reliqua ætate firmiore civilis scientiæ ducem, atque magistram? Quæ omnia, etsi ex plurimarum maximarumque rerum ab eo gestarum eventu minime compertum habuissemus quantum prudentia valeret, satis tamen declarant, eum ad publica negotia accessisse omnibus iis rebus instructum, quæ ad hanc singularem virtutem pertinere videantur. Verum quæ tanta, tam gravis, & tam difficilis res fuit ab ipso pertractata, quam non ex sententia Principis gesserit? Quæ disceptatio unquam forte extitit, quam non ipse maxima suorum utilitate, nulla alienorum

offenſione ad finem perduxerit? Quodnam concordiæ attenuandæ periculum, quod non tecta ſua dignitate, ſummo noſtrorum conſenſu, & approbatione vitarit? Quæ profecto ut perficere poſſet non a fortuna habuit, quæ caſu regitur, ſed a ſe ipſo, qui omnia ad conſilium, rationemque referebat. Nam cum rerum omnium vim, nexumque diligenter perpenderet, intelligebat quæ eſſet vera reipublicæ utilitas, quæ vera Imperii dignitas, noveratque, quod in quaque re veriſſimum eſſe perſpexiſſet, ejus accuratiſſime, & celerrime videre, & explicare rationem, quæ duo ſunt, quibus prudentia maxime continetur.

Jam vero ad probitatem quod attinet, nihil eſt quod quæratur quantum ipſa Oratori ſit neceſſaria, quantum ad res bene gerendas afferat adjumenti. Multum enim intereſt qualis ſit vir, qui nobiſcum agit, ut minus in ſententiam, vel facilius ducamur. Neque enim ulla res eſt, quæ magis fidem faciat Orationi, quam probitas Oratoris? Quam ſi non a populari opinione, ſed ab ipſa vi ejus atque indole metiri velimus, tantam ſane fuiſſe in J. Erneſto inveniemus, quanta vix poſſit oratione complecti. Non enim laus probitatis poſita eſt in quadam ſpecie lenitatis, & indulgentiæ, non in ſimulata ſe demiſſe

gerea-

gerendi ratione, non in quibusdam pietatis larvis consectandis, non denique in iis rebus ullis, quibus maxime plebeculæ opinio captatur: sed in certo quodam & constanti animi instituto unam veritatem habendi cum in dicendo, tum in agendo comitem perpetuam, & ducem. Ab hoc porro veluti quodam sancto, integroque fonte, omnia, quæ in illo admirabamur, probitatis officia manarunt. Nullam enim rem potiorem habebat, quam tum in verbis, tum in moribus veritatem. Nihil meditari, quod non ad rectam rationis normam dirigeret, nihil verbis proferre, quod non ex animo proficisceretur, nihil moliri, quod non officium spectaret. Non causas inanes, non verborum anfractus, non rerum ambages fallendæ fidei quærere, sed rectam jugiter viam insistere, sinceram fidem colere, ingenium semper præstare, ut ille ait, *cui nulla suadet sententia malum*, integer, ingenuus, omnibus apertus. Quis præterea hoc homine a nocendi cupiditate, quis a maledicentia magis alienus? Quis de omnibus benemerendi studiosior? Quis denique in omnibus officiis renitendis diligentior? Hæc sunt quidem germanæ notæ probitatis, quibus ille apud omnes, præsertim vero apud eos, qui intelligunt quid in quaque re vis, & ratio sit,

 tan-

tantam orationi suæ tribuerat auctoritatem, ut semper audientium animos in quam vellet partem impelleret, sæpe hac una opinione gravissima negotia felicissime gesserit.

Age vero videamus eloquentiam, quæ cum sit conciliatrix humanæ maxime societatis, pacis instrumentum, atque custodia, laudabilium sæpe consiliorum procreatrix quædam, & quasi parens, hinc intelligimus nullum ad illud munus, quod societatem firmandam, pacem tuendam, ea denique quæ consilio geruntur maxime spectat, hac facultate aptius, ac magis accommodatum esse præsidium. Quam cum dico esse ei maxime necessariam, cui procuratio negotii publici commissa est, intelligitis AA. me non eam dicere, quæ in verborum consistit vel optimorum, & ornatissimorum sonitu inani, nulla rerum scientia subjecta: a qua levitate J. Ernestus ita abhorrebat, ut si quando sibi quid simile audire contigisset, festive irrideret. Est enim sua quædam ratio dicendi huic muneri attributa, quæ cum sit adhibenda non apud imperitam multitudinem, sed apud lectissimos viros, eo majoris ingenii est habenda, quo difficilius prudentes homines artificio capiuntur. Ille quidem nescio ego an studio, vel exercitatione, an potius

tius vi quadam mentis, qua quid in quaque re optimum esset internoscebat, id plane dicendi genus sibi arripuerat, quod præstantissimum ejus officium maxime deceret: Grave scilicet, robustum, decorum, & maximorum hominum sensibus, ac mentibus accommodatum. Primum habebat a natura, ut ad peregrinas linguas quam celerrime perdiscendas aptissimus esset, quarum eas, quæ cultu, & usu in Europa habentur præstabiliores, ita callebat, ut nemo indigena commodius iis uteretur. Ipsam vero eloquentiam non a palæstra promebat, sed ejus decus ab ingenii celsitate, robur, ac ordinem a judicii subtilitate, gravitatem, & copiam a maximarum rerum seminibus, quæ in ejus animo uberrime pullulabant, universam denique vim, ac rationem a præcipua quadam, ac late diffusa sapientia. Nam cum plurimarum rerum cognitione J. Ernestus excelleret, singularis quædam erat laus ejus ac scientia in iis rebus, quæ maxime a reipublicæ administratoribus in controversiam ducuntur, in fœderibus, pactionibus, statutis Populorum, Regum, Pontificum, in universo denique belli jure, ac pacis, civili, & sacro. Singula præterea orationis quasi tempora noverat. Erat cum subtili disputatione, eademque dilucida utendum

 puta-

putaret, erat cum fuse latius perpetuam orationem adhibendam, erat etiam cum leporem quendam cum liberalitate, atque urbanitate conjunctum usurpandum existimaret. Quæ omnia, ubi res postularet, ita præstabat, ut neque vehementius quisquam urgeret, neque aptius doceret, neque venustius delectaret. Ego vero nexum quendam perpetuum orationis in eo præcipue admirabar, quo ille etiam in domesticis sermonibus ita utebatur, ut si quando aliquid a consuetudine, & sensibus hominum alienum sibi probandum sumeret, ut animi causa consueverat, nulla ratione refelli posse videretur. Verum quid est, quod ego aut ejus eloquentia dignum, aut vobis novum possim afferre? Ipsimet AA. quamplurimi sæpius, multi etiam quotidie audistis, neque unquam audistis non diserte cum subtilitate, non apposite sine fuco, non graviter cum jucunditate dicentem; nunquam aurium, nunquam animi satietatem ab ejus oratione retulistis.

Verum ne ego nimis id præstem, quod ille semper accurate vitavit, veniam ad mansuetudinem, de qua reliquum est ut pauca dicantur. Non me latet esse qui existiment, eam, que in privatis hominibus mansuetudo & habetur, & laudatur, in oratoribus plane humili-

tatem

tatem olere, & ab eorum officio tanquam ejusdem perniciem esse penitus exterminandam: quamobrem eorum a quibus mittuntur dignitatem, decus, ac jura acriori quadam severitate potius quam lenitate putant esse tuenda. Esto quidem sua cuique opinio. JOANNI ERNESTO certe erat longe sententia, ratioque diversa, quæ tamen ei quasi oratoriæ laudis cumulum attulit. Id enim suo sibi jure sumpserat, ut omnem in universa vita rationem persequeretur, qua hominum animos, præsertim vero eorum, quibuscum publice ageret, sibi quam maxime adjungeret. Verum quid aptius ad aliorum benignitatem captandam, quam ipsa benignitas, & mansuetudo? Quid contra ab alliciendis animis magis alienum, quam asperitatis ostentatio, quæ una potest omnis oratoriæ industriæ fructus labefactare? Qui enim fieri potest, ut rem exoptatam impetres, si quantumvis prudens, probus, atque disertus, iis, a quibus petis, te implacabilem præstes, atque omnia tetro supercilio, ac regio spiritu extorquere contendas? Jure ille existimabat præterea, Oratores ea mente a principibus ad principes mitti, ut sint pacis, concordiæque artifices, atque altores, quam si per dissidia, & quasi per belli irritamenta præstare nitantur, nihil plus

agant, quam contra rerum naturam contendere, & officiorum rationem omnino pervertere. Quamobrem cum pacem pacis artibus colendam putaret, dedit operam, ut quæ sibi a natura inesset ad mansuetudinem conformatio, eam etiam animi attentione, atque vigilantia in maximam sui muneris utilitatem revocaret. Quis enim audivit unquam contigisse, ut inter eum, & nostros rerum gerendarum curatores ulla fuisset cum acerbitate dissensio? Quæ unquam negotia? Quæ de republica controversiæ vel gravissimæ exstiterunt, quas ipse non tam exigui specie laboris, non tam soluta agendi dexteritate, non tam hilari vultus significatione, quam si ludus sibi essent, transegerit? Id sane fama constat clarissimorum hominum consensu contestata. Tum vero quæ, & quam illustri celebritate in eum CLEMENTIS XII. P. M. declarata benignitas! Quis, quantus, & quam incredibilis procerum amor! Quæ veluti præclarissima ejus potissimum mansuetudinis testimonia palam perspiciebamus. Verum quas laudes, quos fructus, quæ bona videremus ab eo per hanc unam virtutem parta, si nobis privatis hominibus liceret arcana reipublicæ introspicere, & in lucem proferre? Ex quo intelligitur tantum abesse, ut ejus facilitas dignitatem

immi-

imminuerit, ut contra amplificaverit auctoritatem. Quare cum eximia esset in eo prudentia, & reipublicæ peritia, singularis probitas, ac integritas, summa dicendi vis, atque sapientia, incredibilis humanitas, morumque lenitas, omnia denique præsidia, quibus maximorum hominum, atque principum amor, benevolentia, opinio, admiratio comparatur, quid dubitamus affirmare, eum ad supremum oratoriæ laudis gradum jam pervenisse, præsertim cum clarissimi viri, iidemque civili scientia spectatissimi hanc ipsam de illo sententiam tulerint?

Multa, & præclara de eo dixisse videor AA; & fateor quidem. Sed plura adhuc, & fortasse clariora reliqua essent dicenda, si modum orationis pati possent. Nam quæ egregia res est? Quod præstabile officium? Quæ laudabilis vitæ institutio, ad quam non videretur maxime natus? Quod egregium facinus suscepit, quod non summa cum laude perfecerit? Ad quam artem ingenuo homine dignam animum adjunxit, quam non ita tractarit, ut ad eam potissimum comparatus judicaretur? Quæ gens, quæ natio, quod genus hominum, quorum, ut suis quique dotibus excellunt, non eas ita in se transtulerit, ut apud quoscumque versaretur, poneretur princeps,

habereturque cariſſimus? Quem igitur hominem, quam beatum, & quam pene divinum exiſtimabimus, in quem tot, tantaque bona coaluerunt; quæ ſingulis gentibus, & ſingulis fere hominibus ſunt peculiaria, atque diviſa! Niſi apud eos verba facerem, qui in illum adſpectu, uſu, familiaritate diu cognitum habuerunt, vererer profecto, ut mihi fides haberetur. Sed ipſimet eum vidiſtis, AA, uno tempore tria maxima, atque graviſſima munera egregie ſuſtinentem, quorum ſingula totum, vel ſummæ virtutis hominem poſtularent: Judicis, Oratoris, & Epiſcopi. Cujus poſtremi ſi quis exiſtimet non integram laudem ei eſſe tribuendam, is perperam exiſtimat: At ab Eccleſia ſibi credita ſemper abſuit. Nunquam ſuum gregem viſitavit, nec vidit. Vero quid tum inde? Si ejus rei non ſolum a culpa longiſſime abeſt, ſed etiam maximam conſecutam gloriam adjungit. Si Principis utilitas, ſi P. M. auctoritas, ſi Reipublicæ ratio id flagitavit, nonne idipſum majorem in eum admirationem movebit, cum Epiſcopatum tanto diligentiæ, conſilii, omniſque pontificiæ virtutis fructu abſens adminiſtraverit, quantum nemo unquam præſens attulerit? Non ſatis dici poteſt, quantam ſolertiam adhibuerit, ut Eccleſiæ ſuæ ſtatum, rationes,

indi-

indigentias omnes penitus cognoſceret, quantaque prudentia, atque ſtudio ejus incommodis mederi, optimæ inſtitutioni providere, felicitati conſulere curaverit. Non omnia ſingillatim perſequi poſſum, AA; ſentio enim moderandum mihi eſſe orationi, fugiendamque veſtram moleſtiam. Duo tantum officia leviter attingam, doctrinæ nimirum, & charitatis, quæ cum in Epiſcopis omnibus potiſſima habentur, tum ſibi maxime præſtanda cenſuit ob peculiarem Eccleſiæ ſuæ conditionem. Etſi enim Nitriæ a me tantus habetur honor, quantus nobiliſſimæ urbi videatur eſſe tribuendus, non tamen diſſimulabo ipſius, totiſque illis regionibus communem in litteris calamitatem, quarum vel nulla eſt, vel certe prava, & inutilis tradendarum, colendarumque ratio. Ex qua littararum inſcitia incredibile eſt quantum detrimenti res Eccleſiaſtica capiat, quam enormes chiſtiani officii perverſiones, quam multi, & pernicioſi errores in Evangelicam doctrinam irrepere poſſint. Quæ cum ille ſingulari quodam judicio intelligeret, nullum non movendum lapidem exiſtimavit, ut optima ſtudia in Eccleſiam ſuam inveheret. Magnum plane opus, multiſque difficultatibus obſtructum, multa etiam diuturnitate maturandum. Cujus propterea potuit ille

qui-

quidem pro ratione temporis aptiſſima ſemina ſpargere, fructus vero, quos uberrimos ſperaret, nullos capere potuit. Cum didiciſſet quoſdam juvenes Nittrienſes religioſi ordinis Romam veniſſe, ut ſtudiis operam darent, nihil ſecum præclarius agi potuiſſe pntavit. Ad iſtos adoleſcentes oculos continuo, animumque adjecit: nunquam deſtitit eos cohortationibus incitare, conſilio admonere, opera, atque auctoritate adjuvare. Quos cum vidiſſet non mediocriter profeciſſe, jam cogitatione proſpiciebat quantam allaturi eſſent utilitatem ad eam rem, quam mente moliebatur. Statuerat enim in Eccleſia ſua ſcholas, quæ nullæ ſunt, inſtituere, in quibus plurimi juvenes alerentur, imbuerenturque litteris, doctrinisque ſolidioribus. Hinc ſperabat futurum eſſe, ut aliquando educeret idoneos viros ſui operis Vicarios, atque Miniſtros, qui ad maximum probitatis, atque doctrinæ fructum & Civitatem, & agrum revocarent. Verum longe majus quiddam, latiuſque diffundendum bonum excogitaverat. Latiſſime in Germania patet S. Benedicti inſtitutum, plurimaque extant Monacorum coenobia, eademque frequentiſſima, quæ propter Magiſtrorum inopiam vel nulla habent ſtudia, vel prorſus inania. Jamdiu erat, cum iniquiſſimo animo ferebat, quod

cum

cum ejusdem ordinis Monachi tum in Italia, tum in Gallia Sanctorum, Patrum scientiam, dogmaticam Theologiam, criticem sacram, & reliqua hujusmodi summa cum laude, & fructu profiterentur, ac docerent, iidem in Germania, si qui theologiæ idarent operam, in solis vocularum captionibus, & quæstiunculis plane supervacaneis sine sua, sine aliorum prope ulla utilitate occuparentur. Animadverterat porro sæpe accidisse, ut unius viri judicium, & scientia certam hominum societatem, seu provinciam vel universam ad sanitatem moris, aut doctrinæ revocasset. Noverat nostros etiam Monachos non multis ab hinc annis in eadem esse calamitate versatos, apud quos per duos tantum vel tres homines suum sacris studiis honorem fuisse restitutum. Audiebat præsertim Patavinum. S. Justinæ cœnubium incredibili quadam sacrarum scientiarum laude florere, & vehementer admirabatur tanti, ac tam præclari, & fructuosi ornamenti unum Leandrum Portiam nunc R. E. præstantissimum Cardinalem principem, auctoremque extitisse. Quibus rationibus, & exemplis adductus, quatuor ex Germania adolescentes monachos ingenio eximios Romam arcessere constituerat, qui a doctioribus magistris solidissimam doctrinam haurirent, donec universam

versam

218

versam sacrorum studiorum, optimamque rationem adepti essent. Tum denique in Patriam reverti; ibi eos magis, ac magis consiliis confirmare, auctoritate tueri, omnibus adjumentis instruere. Spes erat injecta illi, plane explorata hoc pacto fore, ut optima studiorum ratio primum in Salisburgensem academiam, in qua ab iisdem Monachis disciplinæ traduntur, deinde non solum in Nittriensem Ecclesiam, sed paulatim in totam etiam Germaniam propagaretur. Id vero non uno animo finxerat, sed jam prope erat, ut reapse perficeret. Magnum sane, atque excelsum consilium, cujus rationem ubi primum mihi declarasset, jam inde cum maximis rebus toto orbe terrarum gestis conferendum putavi, & memoria hominum celebrandum sempiterna.

Jam vero quid ejus flagrantem caritatem commemorem, cujus hæc ipsa sacræ doctrinæ proferendæ cupiditas, atque cura ab eadem virtute potissimum manabat? Qui præterea cum annos tres pontificatum non sane tenuem gesserit, prioris biennii redditus omnes, partim in pauperes alendos, qui ob regionis naturam, in qua neque commercii opportunitas, neque industriæ locus magnopere patet, plurimi sunt, partim in sarcienda, atque augenda prædia, ex quo uberiora

dein-

deinceps largitatis alimenta ſuppeterent, conferendos putavit? qui poſtremo tandem anno re domeſticas ſatis firmata, atque aucta ſeſtertiumque millibus fere trecentis ſuperantibus, quæ demum in rem ſuam privatam ob ſumptus quidem legitimos nonnihil labentem, & ære etiam alieno non plane liberam convertere ſtatuerat; cum cognoviſſet teterrimam peſtilentiam, quæ per plurima Pannoniæ loca graſſata erat, etiam in Nittrienſem agrum jam pervaſiſſe, maximamque cædem minitari; cumque intelligeret ejus vim, atque aciem egeſtatem potiſſimum & rerum inopia foveri, atque intendi, ſumma continuo diligentia, & celeritate, nulla ſui non ſolum commodi, ſed etiam neceſſitatis habita ratione, eam omnem ampliſſimam pecuniam articulo temporis in populi ſui ab atrociſſimi morbi periculo cautionem, atque ſalutem erogandam curavit? Quo uno liberalitatis præſidio regionem illam a vaſtitate ſervatam eſſe, & huic uni plurimas tenues familias incolumitatem acceptam retuliſſe compertum eſt. Quos igitur, & quantos beneficientiæ fructu ab eo, ſi diutius vixiſſet expectare licuiſſet, qui toto triennio, quo opulentam Eccleſiam adminiſtravit, ſibi de ejus cenſu nihil reliquum fecerit? Cujus caritas eo laudabilior,

& ma-

& magis, germana mihi ſemper eſt viſa, quo ejus argumenta non a ſenſus temeritate, non a miſeriæ conſpectu, non denique ab ullo humanitatis invitamento, ſed ab uno, eodemque integerrimo, & ab omni humanarum rerum contagione prorſus immuni caritatis officio petebat. Quapropter nolite quærere, quantum Nittrienſis Eccleſia eum, quem nunquam vidiſſet, diligeret tamen, atque ſuſpiceret. Nemo paſtorem unquam, aut patrem tanta pietate, & obſervantia coluit. Quæ erat autem ejus populi, & ſacerdotalis præſertim ordinis expectatio? quæ alacritas? quæ ad ſpem erectio? Felicitatem enim omni opinione majorem conſecuturos eſſe ſperabant miſeri, ubi illum contueri, & tantæ prudentiæ, humanitatis, doctrinæ, liberalitatis bona a præſenti quaſi fonte haurire potuiſſent. Verum non eorum ſolum, ſed bonorum omnium ſpes maximæ collapſæ ſunt.

Namque cum omnia ei fauſta, atque præclara Roma polliceretur, precaretur Italia, Germania flagitaret, univerſa expectaret Europa; cum CÆSAR cogitaret quo potiſſimum præmio hominem quam liberaliſſime ornaret, cum ipſe jam prope eſſet, ut ad quodlibet dignitatis, fortunæ, auctoritatis faſtigium progrederetur; lethali morbo coreptus, undecimo die

morte

morte importunissima extinctus est. O rerum humanarum fragilem conditionem, & incertam, o hominum vita spei quidem falsæ, & cogitationibus vanis, inanibusque consiliis latissime patentem, temporis vero angustissimo spatio interclusam, cujus splendidior sæpe fortunæ species icciroo apparet, ut luctuosius morte frangatur. Nam JOANNIS ERNESTI nisi tam illustris vita fuisset, mortem minus doleremus, leviorемque jacturam fecisse putaremus. Sed ea tamen in illo tum vitæ, tum mortis ratio contigit, ut recte diligenterque rem exploranti ipsa mihi vitæ fortuna, atque amplitudo mortem ipsi beatiorem, nobisque fructuosiorem effecisse videatur. Si enim in rerum vel maxime appetendarum despicientia posita est magnanimitas, nisi plurima, eademque maxima habuisset, quæ despiceret, nisi in eo scilicet ætatis flore, in ea bonorum omnium copia, in ea spe, atque celebritate ereptus esset, neque sibi tam immortalem fructum peperisset, neque nobis tam singulare magnanimæ mortis exemplum reliquisset. In extremo enim ejus vitæ obitu non solum constantiam, alacritatem, animi erectionem ab aliis sane atque a philosophiæ fontibus petitam vidimus, sed quidquid sanctum, excelsum, atque cœleste a suprema divini numinis virtute manare

unquam

unquam potuerit. Nam ubi primum sensisset morbi vim invalescere, & aliquam periculi suspicionem facere, totum se colligendum, & a carissimis amicis, atque ab omni humana cogitatione revocandum putavit. Nihil deinceps mente cogitavit, nihil verbis declaravit, quod non æternum, divinumque redoleret. Quis autem vel summo ingenio, & facundia præditus posset referre, quæ ille moriens de humanarum rerum vanitate, de hominum stultitia, & vivendi temeritate, de Christiani hominis, ac de Episcopi officio, de perenni, atque infinita Christi meritorum virtute, de constanti in eo posita fiducia, quarum rerum se exemplum cum demisse, tum fidenter proponebat, sapientissime atque sanctissime disseruit? Plurimam se quidem dicebat habere CÆSARI gratiam, quod se maximis ornamentis, ac muneribus decorasset, tunc tamen eo loci esse, ut intelligeret, multo majorem habiturum si se in obscuritate jacentem, vel in Ecclesia sibi credita delitescentem reliquisset. Ibi sperare, se minus a suo erga Deum munere fuisse decessurum. Probe tamen perspicere, & palam profiteri, se, si diligenter cavisset, suo & in Principem simul, & in Deum officio satisfacere potuisse: quod cum minime fecisset, cum dignitatem sibi tributam

tam

ram in sui perniciem, & in aliorum offensionem forte convertisset, id sibi uni esse maximo vitio vertendum, id unum esse, ex quo summo animi dolore cruciaretur. Tum postea ad solatii cogitationem se referens in ipso mœrore, & lacrymis lætus, & quasi renidens, se optime intelligere commemorabat, quæ esset Christi Salvatoris erga miseros homines pietas, quas ille sibi adversus eos partes jam inde ab omni æternitate suscepisset: hunc sibi adesse apud Tribunal Dei ducem, sequestrem, atque sponsorem: hunc jam secum intimo sensu percipere communicantem, qui mirifica illa atque gratuita commutatione, sibi innocentiam sumbstitueret, omnesque suas notas penitus delendas absorberet, quique ad certissimam se æternæ felicitatis spem erigeret. Inter hæc, cum aliquem ex domesticis, qui aderant, immoderatius lugentem animadvertisset, qnid doletis, inquit, quasi maximo meo bono invideatis? Enimvero sic habetote, me nihil ægrius laturum, quam si renunciaretis, me esse a mortis periculo ereptum. Quid est enim, cur vitæ sit optanda diuturnitas, cujus vel perexiguum curriculum tantam mihi, ac tam latam, miseriæ, & erroris segetem præbuerit? Id quidem, si fieri posset, libentissime mihi sumerem, ut scilicet eatenus convalescerem,

quoad

quoad omnibus hominibus, quæ mihi ſit a meæ jam actæ vitæ ratione diſſenſio, quæ itidem ſit, ſemperque in animo fuerit ad religionem adjunctio quam perſpi-picuis indiciis patefacerem, mox rurſus me ad iſtas meas mortis delicias reciperem. Id vero eſt quod mihi vehementer optandum puto. Verum cum Deus Opt. Max. id minime ferat, me ita ejus & voluntati præſto, & fidei permitto, ut quovis pacto mecum optime actum iri exiſtimem, neque in vita ullum ſolatium, nullam jucunditatem meminerim, que cum hac mea mortis expectatione ſit conferenda. His ille perpetuis vocibus, hac intermiſſa nunquam animi alacritate, & flagrantia mortem feliciſſimam obiit. Quam ſi diligenter perpenderitis, A. A. non diutius ab oratione mea, quæ jam fuſe longius proceſſit, doloris medicinam expectandam putabitis. Ipſa enim rei cogitatio non ſolum ad ſolidiſſimum ſolatium, verum etiam ad multo ſalutarius quiddam revocat animum: cujus mihi certe is ex eo tempore ſenſus ineſt, ut neque hanc vitam magnopere amandam ducam, neque mortem pertimeſcendam.

F I N I S.